



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Communi se colloquio subducere, Ioanni singularitatis indicium est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

ita, qui sublimius volare conabantur ceteris, nec ceteros æquare passibus, nec communem cum ijs vitam aut leges valent obseruare. Ioanni certè non erat hæc morum via, qui communis vitæ amantissimus, pro insigni ducebat asperitate ac perfectione, alligare se accuratè seruandis legibus quotidianæ vitæ, illudque usurpabat: *Mea pænitentia maximè est vita communis.* Contrà verò, instar pestis, singularitatem omnem in se, alijsque oderat ac defugiebat, principijsque suis hoc quoque adscripterat: *Sequi in omnibus communitatem, & maximè odiſſe singularitates.* Scriptum reliquit, *Singularitatem esse recessum quendam abductionemq; à communi more ac consuetudine sine necessitate aut causâ; eius actus esse, ambire, aut citra necessitatem sumere cibos, vestes, rēſue singulares.* Communibus se aliorum omnium occupationibus eximere: quale esse, aiebat, si quis præter Societatis morem, communis se aliorum relaxationi subducere, similibūsve (quæ obeunt ceteri) exercitijs se suffuraretur: neque eo tolli actionis singularitatem, quod Superiorum approbatione aut permisu facta esset, sed demi malitiam solummodo iudicabat, cùm sic esset scilicet obedientiæ permisu facta. Ad extremum adiungit, *singularitatem inimicam esse charati, vitam vero communem* (præterquam quod longè

*De singularitatis
vitio.*

*Communi
se colloquio
subducere,
singulari-
tatis indi-
cium est.*

longè tutissima sit) certissimum esse medium
obtinenda sanctitatis, procul omni periculo ina-
nis gloriae.

Insuper dicere solebat, quemlibet scire de-
bere, quemadmodum se ijs accommodare
oporteret quibuscum viuit; eamque virtu-
tem esse propriam operariorum Societatis,
qui vni animarum quæstui intenti, illud Pau-
li usurpare possint: *Omnibus omnia factus sum,*
ut Christum lucifaciam.

Viuebat nobiscum Ioannes eo animi pro-
posito ac decreto, ut nulla omnino in re esset
singularis; sed contrà perpetuò se ad com-
munem vitam fingeret, atque accommoda-
ret, ut quodlibet communis vitæ opus, quan-
tumvis minimum, perfectione maximâ præ-
staret; atq; hanc laudem sic iudicio omnium
abstulit, ut per fugam singularitatis, sectando
communis vitę vestigia, planè supra commu-
nem virtutem omnium extiterit singularis;
non cā solummodo re, quod minima maxi-
mi fecerit; sed quod minima illa, quæ singu-
lis in rebus accurate obseruabat, fuerint in-
star vermiculati cuiusdam ac versicoloris
encausti, quo res quæque finitæ atque orna-
tæ, Deo hominibusque gratiores & pretij et-
iam maioris reddebantur. Nam sane qui mi-
nima illa rebus communibus dempserit, si-
mul eis splendorem, pretium perfectionem-

H 5 que

que detraxerit. atque illud in re minimâ non minimo subseruiat exemplo. Non iuuabat Ioannem lusus , sed magis differendo dispu-

*Omnibus se tandoque capiebatur. Tamen vacationum accommo-
dabat, et iam in lus-
su.*

diebus (cùm Scholaſtici in vineam eunt) si à quoquam ad ludendum inuitaretur, ijs horis quibus fas est vel trudiculis ludere, quibus in oblongâ mensâ per angustum fornicem, mobilemque sphæram eburneæ pilæ trai- ciuntur ; vel laminis faxisve missilibus quæ ad signum propositum manu projiciuntur, colludebat, vt alijs se accommodaret.

Quemcumque recens aduentantem admittebat in societatem lusus , etiamīt perdendi certus fieret, imperitiâ accendentis, & quidem omni animi contentione ludebat, neque aliud interea verbis atque animo agebat, ludebatque dexterè ac scite. Numquam prius ordiebatur , quām salutare Crucis si- gnum publicè expressisset ; quod omni item actui præmittebat . Numquam in lusu aut verbis contendebat, aut vocem clamosiores edebat, seu dexterè caderet iactus, seu sinistre. Si vincebatur, statim genibus flexis Angelicæ salutationis sponſionem victoribus persoluebat; si victor erat, neque insolenter gestiebat, neque victis insultabat. Quæ omnis adiun- etarum rerum collectio, lusum (rem alioqui genere suo medium atque indifferentem)

erigit